Annalium Paulinorum Adumbratio.

Qua

Programmatis loco

inaugurationem Reverendissimi Episcopi Lalandiæ et Falstriæ

Petri Christiani Stenersen Gad,

Theologiæ Doctoris,

primo die festo Adventus Domini

in æde Divæ Virginis sacro ritu peragendam

indicit

D. *Jacobus Petrus Mynster*,

Siellandiæ Ordinumque Regiorum Equestrium Episcopus, Confessionarius Regius, Ordinis Danebrogici magna cruce et cruce argentea ornatus.

Hauniæ MDCCCXLV.

Typis Directoris *Jani Hostrup Schultz*,

Aulæ et Universitatis Typographi.

XLV

Inter innumeras fere, quas inierunt viri docti, rationes, ut, quæ in Actis Apostolorum narrantur, iusto ordine chronologico disponerent, nulla nobis iam pridem magis adrisit, quam illa, quæ in libro Guldbergii nostri, qui inscribitur „Tidsbestemmelse for det Nye Testaments Bøger. Kiøbenhavn 1785", continetur. Ab hoc quidem scriptore in temporibus, quibus exarati sint N. T. libri, constituendis in plerisque dissentimus; quæ vero capite 1mo de chronologia Actorum exposuit, ea, si minores quasdam discrepantias excipias, accuratissima pro viribus nostris instituta investigatione comprobata in sequentibus pagellis iuveuies. Rem autem ita adgrediemur, ut, quæ ab aliis ad finem perducta nobis videntur, breviter tantummodo pertractemus, ablegatis de reliquo lectoribus ad eos scriptores, qui nobis maxime satisfecerint; figmeuta autem, quæ prorsus inepta visa sunt, intacta relinquemus, non enim literis prodesse videtur, ut in talibus repetendis et refutandis in perpetuum eruditorum versetur solertia.

1.

Primus testis audiendus est nobis Paulus, quem in epistola ad Galatas 1, 15—2, 10 de conversione sua et de itineribus proxime insequentibus habemus disserentem. Is autem, narratis, qvæ ei Hierosolyma Damascum iter facienti acciderant, secessuque in Arabiam et reditu in Damascum, subiungit (v. 18): *Ἔπειτα μετὰ ἔτη τρία ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα.* Sunt quidem, qui hoc triennium a reditu in Damascum numerant[1]), sed luce clarius videtur, id agere Paulum, ut ostendat, quantum spatium tem-

[1]) Marsh Anmerkungen zu Michaelis Einl. in das N. T. Uebersetzt von Rosenmüller II. 77. Koppe ad h. l. Rückert Commentar üb. den Brief an die Galater pag. 17. alii.

poris post conversionem effluxerit, antequam aliquem ex Apostolis viderit, nihilque ad rem facere, utrum citius an serius post illum reditum Hierosolymam profectus sit, quum incertum relictum sit, quamdiu antea Damasci commoratus fuerit. Dixerat paulo ante (v. 17): *Οὐδὲ ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα*, nunc vero addit, se demum post tres annos, nimirum a quo tempore inde profectus esset, vel, quod idem est, a conversione, illuc reversum esse. Pergit Apostolus: *Ἔπειτα ἦλθον εἰς τὰ κλίματα τῆς Συρίας καὶ τῆς Κιλικίας* (v. 22) — — — *ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν πάλιν ἀνέβην εἰς Ἱεροσόλυμα* (2, 1). *Διὰ* h. l. significare „post", ut Act. 24, 17 *δι' ἐτῶν πλειόνων*, „elapsis pluribus annis", [2] neque lectionem esse vexandam, [3] sine dubio iam inter omnes constat. Quæ quum ita sint. vix ulla gravior est dubitandi causa, quin hi 14 anni numerandi sint ab illa profectione Hiarosolymitana, de qua modo sermo fuerat, quum ne minimum quidem signum, quo indicaverit scriptor se iterum a revelatione sibi facta sive a conversione computationem annorum instituisse. adpareat. Hoc quoque, ni fallor, concederent omnes, nisi vererentur, ne, hoc admisso, gravioribus difficultatibus chronologicis implicarentur; non autem ad præconceptam opinionem, sed ad clara verba scriptorum constituenda est temporum ratio. Habemus itaque hic 17 annos ab illo tempore, quo primum Christum Dominum professus erat Paulus, elapsos.

Quæritur autem, ad quodnam itinerum, quæ in Actis App. narrantur, posteriore loco respexerit Paulus. De illo in Act. 11, 30 relato non esse cogitandum, postulant omnia. Huius itineris longe alia fuit ratio, quam illius. de quo hic sermo est; adscendit Paulus comitante Barnaba, vel potius Barnabas comitante Paulo — ille enim tunc temporis Paulum auctoritate antecelluisse videtur — Hierosolymam, ut pecuniam ad egestatem sublevandam collectam senioribus traderet, non vero ut cum Apostolis de doctrina conferret. Ex his Jacobus, frater Joannis, nuperrime occisus erat (Act. 12, 1), Petrus aufugerat (v. 17), neque alius *τῶν δοκούνταν*

---

[2]) Vid. Winer Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms. Ed. 3. pag. 326.

[3]) Cfr. inprimis Anger de temporum in Actis App. ratione pag. 127 sqq.

adfuisse videtur, quam Jacobus, frater Domini, quem solum nominatim salutari iubet Petrns discedens. Quum igitur hæc profectio non ad rem illam, de qua cum Galatis in hac epistola agebatur, pertineret, eam hoc loco prætermisisse Paulum, et ad concilium quod dicitur Hierosolymitanum, quod in Act. capite 15mo commemoratur, properasse, minime mirandum est. Cum hac in Actis narratione bene convenire, quæ in epistola adserit Paulus, et, quæ iniectæ sunt dubitationes, facile solvi posse, ab interpretibus optimæ notæ adeo luculenter demonstratum est, 4) ut hac disputatione hoc loco supersedere possimus.

Liceat iam ponere, quod etiam plerorumque eruditorum suffragiis nititur, habitum esse illud concilium circa annum Æræ Dionysianæ 50, a quo si anni 17 retro numerantur, adparet annum 33 esse annum conversionis Pauli.

2.

Æram Dionysianam nos quidem, confusionis evitandæ causa, in annis numerandis sequimur, alio autem loco, si non evincere, at tamen probabile reddere studuimus, Christum huius æræ anno 29, qui est annus Urbis conditæ 782, supplicium passum esse 1). Ab hoc igitur anno ad conversio-

---

4) Winer, Pauli ad Galatas epistola. Ed. 2. Exc. 2. Anger l. c. pag. 142 sqq. Hug Einleitung in die Schriften des N. T. 3 Aufl. II. 34 f. Hemsen, der Apostel Paulus S. 58 ff. Schott, Erörterung einiger wichtigen chronol. Puncte in der Lebensgeschichte d. Ap. Paulus S. 12 ff. Eiusdem Comm. in epp. ad Thess. et Galatas pag. 303 sqq. De Wette, kurze Erklärung d. Briefs an die Gal. S. 22 ff. Hæsitat quidem Ruckertus (l. c. pag. 327. 333), sed non nisi id dubium habens, num inter primum iter Hierosolymitanum et illum conventum 14 anni præterlapsi esse possint. Hanc autem dubitationem in sequentibus removere tentabimus.

1) De momentis chronologicis in vita Jesu Christi pag. 16. Paulo serius, quam nostra disquisitio, in lucem prodiit opus, summa ἀκριβείᾳ elaboratum omnique eruditionis copia instructum, Wieseleri „Synopse der vier Evangelien". Quatenus a nostra sententia discedat vir doctissimus, quum huius loci non sit disceptare (cfr. interea Ebrardus in Tholuck's Liter. Anzeiger 1844. Nr. 37), id sufficiat monere, si cui magis placuerit cum Wieselero (pag. 386 sqq.) supplicium Servatoris ad annum æræ Dionysianæ 30 (783 U. C.) referre, eo calculum nostrum non perturbari. Possunt enim quæ ex Actis App. retulimus etiam in spatium trium annorum restringi, neque ita premenda sunt verba

nem Pauli 4 annos effluxisse statuimus. Paulus adhuc, quum necaretur Stephanus, dicitur *νεανίας* (Act. 7, 58), hoc autem vocabulum etiam de iis, qui ætatem virilem adtigerunt, usurpari, notum est [2]), et iam 30 circiter annos illo tempore natum fuisse Paulum ex epistola ad Philemonem a. 62 vel 63 scripta, adparet, quum enim in hac epistola se „senem" vocat (v. 9), eum hoc tempore sexagenario maiorem fuisse in comperto est. [3]) Erat autem is, ut ipse narrat (Act. 22, 3), Hierosolymæ ad pedes Gamalielis[4]) eruditus (*ἀνατεθραμμένος*); hinc autem non sequitur, eum pueritiam aut primam adolescentiam in hac urbe transegisse; e contrario, quum nullum adsit vestigium, unde eum Christum, dum inter homines versaretur, vidisse colligere liceat [5]), potius statuendnm est, eum non ante passionem Christi Hierosolymam venisse; quum autem institutione Gamalielis frueretur, non nimis breve tempus huic commoratioui Hierosolymitanæ tribuendum est [6]). Docet etiam historia Apostolica, intervallum aliquot annorum inter adscensionem Christi in coelum et mortem Stephani interiectum fuisse. Si enim, quæ iu octo prioribus capitibus Actorum Lucas complectitur, scilicet fundationem et incrementum ecclesiæ (cap. 2), sanationam claudi in templo men-

---

Pauli, prout in animo habuisset tempus adeo accurate definire, ut 17 annos plenos a conversione elapsos fuisse necessario statuendum esset. Omnia, quæ in sequentibus exponemus, bene sibi constabunt, etsi sumas, Paulum anno primum 34 ad Christum esse conversum. Omnibus antem bene perpensis, annus 33 se nobis magis commendat.

2) Vid. Kuinoelii comm. ad h. l. Stephani Thesaurus lingvæ græcæ, edd. Hase et Dindorfii, sub vocc. *νεανίας* et *νεᾶνις*. „Pythagoras *νεανίαν* vocat, quem alii *ἄνδρα* i. e. virum, qui virilis et constantis ætatis est". Diog. Laert. VIII. 1, 10.

3) Secundum Orationem de Petro et Paulo, quæ in Opp. Chrysostomi exstat, Ed. Bened. Vol. 8, inter spuria pag. 10, Paulus 68 circiter annos explevit, quorum 35 Domino mancipavit. Si hæc vera essent, 33 annos natus erat, quum ad Dominum conversus sit.

4) Hæc verba non dubito, quin ad præcedentia, non cnm Wolfio (Curæ philologicæ et criticæ in h. l.) ad sequentia, referam.

5) Locus enim 1 Cor. 9, 1 ad adparitionem in via ad Damascum referendus est, et 2 Cor. 5, 16 omnino aliam rem spectat.

6) Si vocabulum *ἀνατεθραμμένος* urgere velis, concedendum est, Paulum primam ætatem Hierosolymæ transegisse (Tholuck's vermischte Schriften II. 273 ff). Si vero ita est, ut mea fert sententia, hanc urbem iterum reliquit, neque ante eo rediit, quam post mortem Christi.

dicantis et quæ insequuta sunt (cap. 3, 4), punitionem Ananiæ et Sapphiræ, populi ad Apostolos confluxum, horum in carcerem conieetiouem (cap. 5), adauctum uumerum pauperum, ita ut ad hos curandos septemviri eligerentur, Stephani increscentem famam, indignationem procerum, eiusque lapidationem (cap. 6. 7), postea persecutionem sævientem, discipulorum in varias regiones dispersionem, fundationem ecclesiæ Samaritanæ, Petri et Joannis in hanc urbem profectionem (cap. 8): facile concedes, hæc omnia intra fines unius vel duorum annorum non posse intercludi. Neque iu his narrandis festinat Lucas, sed, ut scite observat Guldbergius, [7]) post unumquemque fere eventum intervallum aliquod iudicat (2, 42—47. 4, 32—36. 5, 11—16. 6, 7), in quo incrementa ceperit et firmata sit res christiana. Jure igitur nostro statuere licebit, 4 annos hisce factis impletos esse, neque, si adscensio Domini a. 29 locum habuerit, quidquam obstare, quo minus conversionem Pauli ad annum 33 referamus.

3.

Quæ Paulo in itinere prope Damascum acciderunt, Lucas in Actis 9, 3 sqq. et ipse Paulus Act. 22, 6 sqq. et 26, 12 sqq. [1]) referunt. Addit Lucas vv. 19. 20, Paulum cum discipulis versatum fuisse *ἡμέρας τινάς*, et statim Jesum filium esse Dei prædicasse, postea vero v. 22, eum magis invaluisse Judæosque confutasse, et tandem v. 23: *Ὡς δὲ ἐπληροῦντο ἡμέραι ἱκαναί, συνεβουλεύσαντο οἱ Ἰουδαῖοι ἀνελεῖν αὐτόν.* Adparet, inter illas *ἡμέρας τινάς* et has *ἡμέρας ἱκανάς* interpositum fuisse tempus aliquod, et qnidem ita longum, ut in eo ad disputationem cum Judæis magis idonens redderetur Paulus. Quo modo hoc tempus transegerit, nesciremus, nisi ipse Gal. 1, 16. 17 nos doceret, se non homines in consilium adhibuisse, sed

---

[7]) Tidsbestemmelse S. 50. Cfr. Anger l. c. pag. 167.

[1]) Locis adlatis haud dubie, non Lucam, sed ipsum Paulum habemus loquentem; sermones enim Pauli, qui in Actis leguntur, longe alinm characterem referre, quam illæ orationes, quæ apud scriptores historiarum Græcos et Romanos reperiuntur, ab ipsis compositæ, optime observavit Schleiermacherus. Ueber den sogen. ersten Brief des Paulos an den Timotheos S. 20.

in Arabiam secessisse, unde iterum Damascum reversus est. Qui hos versus adtente perlegerit, intelliget sine dubio, consilium huius secessus non fuisse, ut iam Christum adnunciaret, sed potius, ut, sibi et Domino relictus, sacris studiis intentus, in fide convalesceret, et ad munus illud sacrum, quod ci impositum erat, rite obeundum vires spirituales colligeret. Nequaquam tamen negamus, Paulum interdum, oblata occasione, doctrinam de Jesu Messia exposuisse, et inde odium Judæorum, quorum multi in Arabia erant, sibi contraxisse.

Damascum autem reversus, id demum ex professo egit. Prævaluerunt in hac urbe Judæi, quorum tanta erat multitudo, ut non ita multo post decem millia eorum, quum in gymnasio inclusi essent, interemti sint, clam tamen uxoribus Damascenorum, mulieres enim Damascenæ fere omnes Judæis favebant [2]). Non mirum igitur, potuisse Judæos illo tempore Paulo insidias struere portasque observare, ut eum interficerent, adeo ut discipuli eum noctu per murum in corbe demittere cogerentur (Act. 9, 24. 25). Ad has insidias respiciens Paulus 2 Cor. 11, 32. 33, *Ἐν Δαμασκῷ*, inquit, *ὁ ἐθνάρχης Ἀρέτα τοῦ βασιλέως ἐφρούρει τὴν Δαμασκηνῶν πόλιν, πιάσαι με θέλων· καὶ διὰ θυρίδος ἐν σαργάνῃ ἐχαλάσθην διὰ τοῦ τείχους, καὶ ἐξέφυγον τὰς χεῖρας αὐτοῦ·* unde interpretes tantum non omnes, fuisse illo tempore Damascum in potestate Aretæ regis, concluserunt, atque inde tempus illius evasionis definire conati sunt.

Nomen Aretæ pluribus Arabiæ principibus commune fuit, is autem, de quo iam sermo est, rex erat Arabiæ Petrææ, regnumque eius Damasco confine. Nupserat filia eius Herodi Antipæ, Galilææ et Perææ tetrarchæ, quæ tamen, quum novum matrimonium cum Herodiade, fratris uxore, contrahere vellet Herodes, marito perfido relicto, ad patrem rediit. Inde orta est inimicitia, quæ, quum contentio de finibus utriusque regni accessisset, in bellum exarsit, in quo Herodes victus eiusque exercitus deletus est. Romani autem Aretæ rebus non favebant, quamobrem Tiberius, quum hanc cladem rescivisset, Vitellio, præfecto Syriæ, iussit, ut Aretam armis adgre-

---

[2]) Josephus de bello Judaico 2, 20, 2.

deretur, ipsumque vivum aut occisi caput ad se mitteret. Vitellius autem, quum in itinere Tiberii mortem, quæ mense Martio a. 37 contigit, compe-risset, longius progredi noluit, sed, exercitu dimisso, Antiochiam rediit [3]. Damascum illis temporibus in potestate Romanorum fuisse, extra dubium est [4]; hoc autem temporis momentum opportunum rati, qui coniecturæ supra memoratæ suffragantur, quo Damasco potiretur Aretas, hoc ita factum esse, etsi omnino taceat Josephus, statuunt, atque inde concludunt, fugam Pauli ad a. 37 esse referendam [5]. At nihil sane ab omni veri specie magis abhorret, quam ausum fuisse Aretam urbem Romanæ ditionis adgredi, aut, si auderet, Vitellium tantam iniuriam inultam prætermisisse; etiamsi enim bellum iniussu novi Cæsaris Aretæ inferre nollet, quam maxime tamen curam gerere debebat, ne respublica sua negligentia detrimenti aliquid acciperet [6]. Ethnarchæ porro, si revera in urbe imperium tenuisset, minime opus fuisset, ut tali modo Paulo insidiaretur, quum eum palam prehendi iubere nihil impediret. Itaque ad sententiam Wurmii [7] totus accedo, Damascum nunquam in potestate Aretæ fuisse, Ethnarcham autem, quum in vicinia cum militibus esset, portas urbis, ne Paulus evaderet, diligenter observasse; neque video, quidni Paulus, etsi, per portas egredi et vias tritas sequi non liceret, per aperturam muri dimitti et per campos aufugere potuerit. Quod Lucas Judæis, id Paulus ethnarchæ Aretæ tribuit, egit enim is haud dubie Judæis instigantibus; quid, quod Aretas rex ipse fortasse religioni Judaicæ addictus fuerit [8].

Proelium inter exercitus Herodis et Aretæ sine dubio a. 36 commissum est, hoc anno igitur in illis regionibus prævalebant milites Aretæ.

---

3) Joseph. Antt. 18, 5, 1. 3.

4) Anger l. c. pag. 175.

5) Quum plerique, qui de his rebus scripserunt, etsi non de anno, quo Damascum occupaverit Aretas, attamen de ipso facto consentiant, nominare sufficiat Guldbergium (l. c. pag. 4 sqq.), Hugium (Einleitung II, 313 f.), Schottum (Erörterung pag. 92 sqq.), et Winerum (Biblisches Realwörterbuch, 2 Aufl. I. 98).

6) Vid. Anger pag. 179.

7) Ueber die Zeitbestimmungen im Leben des Apostels Paulus. Tübinger Zeitschrift für Theol. 1833. H. 1. S. 27.

8) Basnagii Exercitationes historico-criticæ pag. 163 sq.

Anno insequente, quum exercitus colligeret Vitellius, illis tam libere circa urbem grassari vix licebat. Ad annum igitur 36 referenda videtur fuga Pauli, ex qua Hierosolymam post tres annos revisit.

4.

Non nisi quindecim dies Hierosolymæ commoratus (Gal. 1, 13), et mox in vitæ periculo incidens, deductus est Paulus a fratribus (Christianis) Cæsaream (Palæstinæ), unde Tarsum profectus est (Act. 9, 30). Sequebantur tempora ecclesiis fausta et tranquilla (v. 31), fortasse qnia Judæi, ipsi variis modis vexati, a Christianis persequendis interea abstinebantur [1]), neque de Paulo quidquam in Actis ante legimus, quam Barnabas eum quæsiverit, eumqne Tarsi inventum secum Antiochiam duxerit (Act. 11, 25). Ipse Paulus obiter narrat, se hoc tempus in regionibus Syriæ et Ciliciæ transegisse (Gal. 1, 31) [2]).

Spatium hoc temporis, per quod nihil de Paulo refert Lucas — sine dubio quia nihil de eo compertum habebat — iuxta nostram opinionem sex vel septem annos complectitur, id quod plerisque scriptoribus in causa fuit, cur conversionem Pauli ad posteriorem aliquem annum transferre conarentur, quum sibi persvadere non possent, Paulum tot annos nullis præclaris factis insignitos perdidisse. Nos quidem nequaquam statuimus, Apostolum his annis otiosum fuisse, etsi eum non statim ad summum fastigium apostolatus festinasse arbitramur. Non erat Paulus unus e multis, qui, subito fervore abrepti, nihil citius agunt, qnam ut mutatam suam mentem tuba inflata adnuncient, nomenque suum illustre reddant. Quemadmodum vidimus, eum mox post conversionem solitudinem quæsivisse et in Arabiam secessisse, ut fide et intelligentia magis invalesceret (*μᾶλλον ἐνεδυναμοῦτο* Act. 9, 23), sic etiam nunc exspectavit, donec auctoritate et viribus cresce-

---

[1]) Vid. Lardner, Glaubwürdigkeit der ev. Geschichte, übers. von Bruhn, I. 164 ff.

[2]) Quod Paulus Syriam ante Ciliciam nominet, Lucas autem eum primum Tarsum profectum esse narret, in eo non est laborandum, quum vel fortuito Syria primum menti Apostoli obversari potuerit, aut etiam post brevem Tarsi commorationem Syriam mox petierit, ubi se melius acceptum iri, quam inter cognatos Tarsenses, exspectare potuit.

ret, ut in maius theatrum prodiret. Neque angustus ei campus in illis regionibus, in quibus tunc versabatur, patuit; in Syria et Cilicia plures ecclesias viguisse constat (Act. 15, 23. 41), quæ, si non originem, certe institutionem et confirmationem Paulo debebant. Infra videbimus, eum annum integrum Antiochiæ, triennium Ephesi, annum et dimidium Corinthi commoratum esse; minime igitur incredibile videtur, eum sex vel septem annos in ecclesiis duarum provinciarum stabiliendis et formandis insumsisse.

Agebatur enim sine dubio annus æræ Dionysianæ 42 vel 43, quum Barnabas, strenuum adiutorem sibi adiungere cupiens, Paulum Tarso Antiochiam deduceret, ubi per integrum annum versati sunt (Act. 11, 25. 26). Surrexit autem vates, magnam famen *ἐφ᾽ ὅλην τὴν οἰκουμένην* fore prædicans, quæ etiam, ut addit Lucas, sub Claudio exstitit. Decreverunt igitur discipuli Antiocheni fratribus in Judæa succurrere, collectamque pecuniam per Barnabam et Paulum ad seniores miserunt (Act. 11, 28—30).

Quod ad illam famem adtinet, vocabulum quidem *οἰκουμένη* absque dubio hic et quotiescunque occurrit non de Judæa sola, sed de toto orbe, saltem Romano, intelligendum est [3]), erantque sub Claudio, ut ait Suetonius [4]), assiduæ sterilitates, unde fames nunc in una nunc in alia regione grassabatur [5]). Hoc autem loco proxime de illa fame cogitandum est, quæ sub procuratoribus Cuspio Fado et Tiberio Alexandro Judæam, certe etiam adiacentes terras, vexabat [6]). Cuspius autem Fadus, statim post Agrippæ mortem, quæ a. 44 contigit [7]), in Judæam missus est [8]); illa

---

[3]) Contrariam sententiam certe non probavit Krebsius in Observationibus in N. T. e Fl. Josepho pag. 100.

[4]) in Claudio cap. 18. Offendunt Ruckertum (Magazin für Exegese u. Theol. des N. T. I. 119) verba: *ὅστις καὶ ἐγένετο ἐπὶ Κλαυδίου*, quasi absonum esset hoc dicere, nisi iam sub Caligula vaticinatus esset Agabus, id quod vix admitti potest. Equidem non video, quidni Lucas, quum sub Nerone vel etiam serius scriberet, adnotare potuerit, sermonem esse de illa fame, quæ sub Claudio exstitit.

[5]) Testimonia scriptorum collegit Walchius in Dissertationibus in Acta App. II. 137 sqq.

[6]) Josephi Antt. 3. 15, 3, 20, 2, 5. 20, 5, 2.

[7]) Obiit Caligula a. d. 9 Kal. Febr. a. 41 (Suetonius in Calig. c. 58). Claudius autem mox post adeptum imperium Agrippam non modo in regno, quod a Caligula acceperat, confirmavit, sed etiam Judæam et Samariam adiecit (Jos. Antt. 19, 5, 1). Agrippa autem post tres annos exspiravit (ibid. 19, 8, 2).

[8]) Josephi Antt. 20, 1, 1. 2. Cfr. Anger l. c. pag. 44.

igitur fames per insequentes annos has regiones invadebat. Aderant sine dubio iam signa instantis caritatis annonæ; vaticinante autem Agabo eam gravissimam fore, Antiocheni non exspectabant, donec incresceret calamitas, sed penuriæ prævenire, quantum in ipsis erat, studebant. Jam ante adventum Barnabæ et Pauli, ut videtur, interemtus erat Jacobus, Petrusque in carcerem coniectus (Act. 12, 1 sqq.); quum autem illos ante ultima facinora Agrippæ advenisse, narrata autem morte Agrippæ demum Hierosolyma discessisse, referat Lucas (12, 25), hæc omnia eodem fere tempore evenisse, atque adeo Paulum hac vice circa annum 44 Hierosolymam visisse, tuto colligere possumus.

5.

Si, quod probabile reddere studuimus (§ 3), Paulus, Damasco aufugiens, Hierosolymam prima vice post conversionem a. 36 reviserit, huic anno secundum Gal. 2, 1 anni 14 addendi sunt, ut tempus celebris illius conventus Hierosolymitani inveniamus. Supersunt igitur nobis ab anno 44 sex anni, quorum facta, etsi nullis additis temporum notis, ita describit Lucas, ut nulla dubitandi adsit ratio, quin illud temporis spatium his impletum esse statuamus.

Redierunt Antiochiam Barnabas et Paulus, socio adsumto Marco (Act. 12, 25); inde, Spiritu Sancto instigante, ad opus aliquod magnum emissi, Cyprum petierunt, et, haud exiguum tempus Salamine versati, totam insulam peragrarunt, Paphi autem apud Proconsulem Sergium Paulum aliquamdiu commorati sunt (13, 4—12). Relicta Cypro, ad Pergam, Pamphyliæ urbem, adpulerunt, ubi Marcus ab iis discessit, atque inde Antiochiam Pisidiæ pervenerunt (13, 13. 14). Ex hac urbe, persecutione a Judæis excitata, eiecti, Iconium, Lycaoniæ urbem, petierunt (13, 50. 51). Satis longum tempus (*ἱκανὸν χρόνον*) ibi commorati, tandem hinc quoque aufugere coacti, Lystram se contulerunt (14, 3—7). Lystræ primum a paganis Dii habiti, postea a Judæis exagitati sunt, quum Paulus quidem lapidatus, incolumis autem servatus esset, Derben migrarunt (14, 8—21). Posthæc quum in hac quoque urbe evangelium nunciassent, neque paucos

(ἱκανοὺς) discipulos nacti essent, iterum Lystram, Iconium et Antiochiam visitarunt (v. 21). Hoc quum facere nequissent, nisi ante subsedisset persecutio, non admodum breve tempus interiectum fuisse statuendum est. Neque ecclesias in his urbibus percurrendo tantum viserunt, presbyteros enim per singulas ecclesias suffragiis eligebant, mentesque discipulorum firmabant (v. 22, 23(. Pisidia deinde et Pamphylia peragrata, Pergæ iterum docuerunt, unde Attaliam descenderunt, atque illinc Antiochiam reversi, ibi cum discipulis χρόνον οὐκ ὀλίγον versati sunt (v. 24—28). Tunc demum, orto de necessitate circumcisionis dissidio, decretum est, ut Paulus, Barnabas et alii quidam Hierosolymam ad Apostolos et Presbyteros mitterentur, quo, per Phoenicen et Samariam itinere facto, venerunt (15, 1—4).

Hæc omnia plerumque breviter tantummodo narrat Lucas, consideranti autem, quantum opus Barnabas et Paulus, in tot urbibus terrisque ecclesiam Christi constituentes, gentilibusque januam fidei aperientes (14, 27), se perfecisse (ὃ ἐπλήρωσαν 14, 26) optimo jure profiteantur, non dubium erit, quin longius temporis spatium his perficiendis tribuendum sit. Noluimus in singulis coniecturando subsistere, quum variis modis has res disponere liceat; id modo efficere studuimus, ut, si itineribus adlatis tempus haud exiguum commorationis Antiochenæ addatur, nihil obstare adpareat, quin conventui Hierosolymitano annum 50 adsignemus, qui annus etiam argumentis, quæ in sequentibus explicare conabimur, se nobis commendabit.

6.

Antequam autem ulterius progrediamur, illa nobis quæstio examinanda videtur, quo tempore Paulus primum illas urbes Galaticas adierit, in quibus ipse fundamentum ecclesiæ christianæ iecisse videtur, et ad quas data est epistola illa celeberrima, quæ in sacro codice exstat. Nostram de hac re sententiam iam multos abhinc annos exposuimus [1]), quæ est, Pau-

---

[1]) In introductione in ep. ad Gal. a. 1816 danico sermone (Videnskabelige Forhandlinger ved Siellands Stifts Landemode III. 50 ff.), germanice vero a. 1825 edita (Kleine theologische Schriften S. 57 ff.).

lum ecclesias, quas in Lycaonia et adiacentibus regionibus collegerat, unacum iis, quæ in proprie sic dicta Galatica terra exstabant, uno nomine complexum esse, neque id sine iusta causa facere potuisse, quoniam omnes illæ regiones sub Amynta cum Galatia in unum regnum coaluerant, quod postea, Romana provincia facta, uno regimine administrabatur, quapropter etiam ab aliis illorum temporum scriptoribus tota hæc provincia uno nomine Galatiæ comprehensa est. Hæc sententia, etsi nonnullis viris eruditis haud displicuit, a plerisque impugnata est, e quorum numero Rückertus fere solus rem accuratiore examine dignatus est [2]). Nos vero, quum iterum lectores prolixiore disputatione fatigare non placet, hoc loco ea tantum, quæ ad quæstionem solvendam maioris esse momenti visa sunt, adferemus.

Constat exstitisse in Galatia coetus, institutione Pauli ad fidem Christianam amplectendam adductos, qui eum tamquam angelum coeli, tamquam ipsum Christum recepissent, in quorum civitate multa mala sustinuisset (Gal. 4, 14), qui et ipsi Christi causa multa perpessi essent (3, 4) [3]), quique cum Paulo, ut e tota epistola elucet, intimo amoris vinculo coniuncti erant, et apud quos summa auctoritate polleret. Jam vero, si Galatiam intra antiquos fines restringimus, qui fit, quæsumus, ut in toto N. T. ne minimum quidem vestigium ecclesiæ, quæ Ancyræ, Pessinunte, Gordii, Tavii, vel in ulla alia Galatarum urbe floruerit, reperiatur? Galaticæ regionis nulla ante diserta fit mentio quam cap. 16, ubi Lucas, postquam Paulum, socio adsumto Silvano, Syriam, Ciliciam, urbesque Lycaonicas, in quibus antea evangelium adnunciaverat, peragrasse narravit, addit: *Διῆλθον δὲ τὴν Φρυγίαν καὶ τὴν Γαλατικὴν χώραν, κωλυθέντες ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύ-*

---

2) In comm. in ep. ad Gal. pag. 296 sqq. et in Magazin für Exegese u. s. w. I. 97 sqq. Miror, Olshausenium (Commentar über das N. T. IV. 5), adserere potuisse, sententiam nostram a Rückerto plane profligatam esse, quum ipse Rückertus, se librum nostrum non vidisse, fateatur. Illi cum Böttgero (Beiträge zur hist. krit. Einleitung in die Paulinischen Briefe Abth. 1 u. 3) aliisque res est, qui, etsi magna ex parte nostris argumentis utuntur, multa tamen neglexerunt, et quæ de suo adiecerunt, ea non nostra facimus. Quod obiicit Angerus (l. c. pag. 135), id nos non tangere, ex sequentibus patebit.

3) De sensu horum locorum vid. Kl. theol. Schriften pag. 67 sqq.

ματος λαλῆσαι τὸν λόγον ἐν τῇ Ἀσίᾳ κ. τ λ. Nolumus iam disputare, num Phrygia et Galatia inter eas regiones, de quibus antea dictum est, Paulum eas discipulorum confirmandorum causa visitasse, referendæ sint, nec qua extensione nomen Asiæ h. l. accipiendum sit; ingenuum autem quemque lectorem interrogamus, liceatne statuere, Lucam his verbis institutionem Pauli efficacissimam et primordia coetuum Paulo coniunctissimorum describere? At, inquiunt, erant fortasse, quæ in hac parte itineris evenerunt, Lucæ ignota. Quomodo autem, quum cetera omnia, quæ his locis hocque tempore acta sunt, optime noverit, ea tantummodo, quæ ad has ecclesias, de quibus certe Paulum sæpius loquentem audiverat, eum latuerint, neque plura de origine earum comperire potuerit, quam quæ in illis frigidis verbis continentur, id sane intellectu difficile est.

Hæc erant, quæ nos impellerent, ut disquireremns, illæne ecclesiæ Galaticæ, ad quas scripta est epistola, in Actis Apostolorum fortasse sub alio nomine laterent. Statim vero occurrebat illa harum regionum coniunctio, primum sub Amynta rege, postea in provincia Romana, unde facile effici potuisse statuimus, ut omnes haud raro uno nomine Galatiæ adpellarentur. Obiiciunt quidem, quod, secundum Dionem Cassium [4]), non nisi pars aliqua Lycaoniæ Amyntæ subiecta fuerit; hæc autem pars adeo magna fuit, ut Plutarchus Amyntam regem Lycaonum et Galatarum adpellet [5]), utque ipse Dio adfirmet, Galatiam cum Lycaonia post mortem Amyntæ præfectum Romanum habuisse [6]). Concedimus certe, Amyntam Iconium, quod in historia Pauli satis magni momenti est, non tenuisse; hoc enim oppidum Polemoni, regi quondam Ponti, regno ademto, a Romanis unacum parte Ciliciæ adtributum est [7]). At, Polemone mortuo, omnino veri simillimum est, adtributam fuisse illam urbem, sive regno Amyntæ, sive provinciæ Galaticæ Romanæ. Neque obstat, quod apud Plinium [8]) legitur:

---

[4]) Lib. 49, c. 32.
[5]) In Anton. p. 944 B. ed. Paris. 1624.
[6]) Lib. 53. c. 26.
[7]) Strabo lib. 12. pag. 663 (ed. Basil. 1571).
[8]) Hist. Nat. l. 5, c. 27.

„Datur et tetrarchia ex Lycaonia, qua parte Galatiæ contermina est, civitatum XIV, urbe celeberrima Iconio". Erat hæc tetrarchia sine dubio illa pars Lycaoniæ, quam possederat Polemo, iam vero, ut videtur, quippe Galatiæ finitima, huic provinciæ adtributa.

Minime statuimus, evanuisse propter hanc coniunctionem nomina Lycaoniæ, Pisidiæ, Isauriæ, quæ haud raro apud scriptores illius ævi occurrunt, et certissime populis ipsis in usu erant. Id tantummodo evincere voluimus, potuisse nomen Galatiæ etiam sensu latiore snmi, ita ut ceteras dictas regiones simul complecteretur. Hoc autem revera evenisse, pluribus exemplis docuimus. Inscribitur prima epistola Petrina ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς Πόντου, Γαλατίας, Καππαδοκίας, Ἀσίας καὶ Βιθυνίας· quum autem Apostolus ecclesias, quæ Antiochiæ in Pisidia, Lystris [9], Iconii aut Derbe exstabant, prætermittere in hac serie voluisse minime existimandus sit, has ecclesiis Galatiæ eum accensuisse manifestum videtur. Pari modo apud Tacitum Lycaonia et Isauria a Galatia quasi absorbentur. Refert enim [10], Galbam Calpunio Asprenati Galatiam ac Pamphyliam provincias regendas permississe; interiacentes autem terras Lycaoniæ et Pisidiæ alium habuisse præfectum, minime statuendum est, non vero opus erat has singulatim recensere, quum in provincia Galatiæ continerentur. Idem apud Ptolemæum quoque adparet; is enim Galatiam versus meridiem Pamphyliam adtigisse, atque adeo maiorem partem Pisidiæ, Lycaoniæ et Isauriæ complexam fuisse adfirmat; quinimo, tribus Galaticas recensens, has tribus partes supra dictarum regionum occupasse, diserte memorat [11]. Paulus igitur, quum neque in salutatione, neque in exprobratione Gal. 3, 1, varias gentes, sibi invicem vicinas, quas eodem tempore adiisset, recensere luberet, omnes una denominatione Galatarum comprehendisse, non sine causa contendere nobis videmur.

---

[9]) Quum Plinius (l. 5. c, 32) Lystrenov inter incolas Galatiæ numeret, hi certe oppidum Lystram incolebant. An rectius „Lystrenses" scribendum esset, id Rückerto (Commentar S. 207) cum Plinio disceptandum relinquimus. Nobiscum faciunt Schellerus in Lexico sub voc. Lystra, et Wernsdorffius, de republica Galatarum pag. 222.

[10]) Hist. l. 2. c. 9.

[11]) Geogr. l. 5. c. 11.

Ceterum, qunm Barnabas et Paulus Act. 14, 6 evangelium adnunciantes Lystram et Derben καὶ τὴν περίχωραν adiisse dicantur, vero simile est, ecclesias christianas etiam in oppidis quibusdam Galatiæ antiquæ conditas fuisse. Utrum Derbe et Lystra Act. 16, 1. 6 a regione Galatica separentur, an ei adcenseantur, incertum relinqnimus. Hæc vero oppida hoc nomine comprehendisse Lucam, quum Act. 18, 23 de Paulo dicat: Ἐξῆλθε διερχόμενος καθεξῆς τὴν Γαλατικὴν χώραν καὶ Φρυγίαν, ἐπιστηρίζων πάντας τοὺς μαθητάς, recte a Böttgero [12]) observatum est; Apostolum enim, quum in his regionibus versaretur, illas ecclesias præteriisse, nequaquam probabile est.

7.

Quod ad a. 50 concilium sic dictum Hierosolymitanum retulimus, id sine dubio firmatur cousiderando acta Pauli ab illo inde tempore usque ad commorationem eius Corinthiacam, quæ ipsa momenta quædam nobis suppeditat, unde temporis punctum aliquod probabile elicere possumus.

Cum decreto Apostolorum Antiochiam missi suut Paulus et Barnabas unacum Juda Barsaba et Silvano (Act. 15, 22. 27). Elapso aliquo temporr (ποιήσαντες χρόνον v. 33) Judas Hierosolymam reversus est, Paulus vero et Barnabas διέτριβον ἐν Ἀντιοχείᾳ διδάσκοντες (v. 35). Petrum interea etiam Antiochiam venisse, ibique aliquod tempus commoratum esse, ex Gal. 2, 11 sqq. discimus. Μετὰ δέ τινας ἡμέρας Paulus, singulas urbes, in quibus sermonem Domini adnunciaverat, revisere cupiens, Silvano socio adsumto, Syriam et Ciliciam peragravit (Act. 15, 36—41). Derben deinde et Lystram pervenit (16, 1), unde, Timotheo iu societatem itineris accepto, urbes plurimas visitavit, neque sine fructu, ecclesiæ enim in fide firmabantur, earumque numerus quotidie augebatur. Phrygia autem et Galatica regione peragratis, Mysiam præteriit, et Troadem, urbem Asiæ maritimam, pervenit (16, 3—8). Inde in Macedoniam transgressus, Philippos mox petiit (v. 12). In hac urbe ecclesiam condidit sibique tener-

---

12) l. c. I. 30.

rimis vinculis obstrinxit, persecutione autem orta inde expulsus, per Amphipolin et Apolloniam Thessalonicam se contulit (17, 1). Commorationi eius Thessalonicensi haud exiguum tempus adsignandum est, quum et ecclesiam ibi condiderit, et occasio ei data sit victum laborando quærere (1 Thess. 2, 9), neque non semel iterumque Philippenses inopiam eius sublevaverint (Phil. 4, 16). Orto autem tumultu, coactus est noctu Beroeam fugere (Act. 17, 10). Neque vero ibi, etsi humanissime exceptus, tranquillam mansionem reperire potuit, sed, Silvano et Timotheo Beroeæ relictis, ipse a fratribus Athenas deductus est (v. 14). Athenis socios exspectavit (v. 16), quorum tamen non nisi Timotheus tunc ad eum rediisse videtur; quem mox iterum Thessalonicam ablegans (1 Thess. 3, 1, 2), ipse solus Corinthum profectus est (Act. 18, 1). Tot itinera et in ecclesiis condendis aut firmandis labores vix intra angustius temporis spatium, quam biennii, includi posse, adparet. Itaque, si statuimus, Paulum anno 52 vergente Corinthum venisse, ubi annum et dimidium remansit (18, 11), cetera quoque indicia, quæ obvia sunt, optime consentiunt.

Quum nimirum Corinthi tumultus contra Paulum excitarent Judæi, erat Gallio Proconsul Achaiæ (18, 12). Annum quidem, quo pro consule in Achaiam missus est Gallio, ignoramus; erat autem is frater Senecæ, et veri simile omnino est, eum, adiuvante fratre, honorem consulatus adeptum esse. Senecam autem, a Messalina, ficto crimine, in exilium missum [1], Agrippina, quum Claudio nupserat, revocavit et in magno honore habuit, eique Neronem edocendum tradidit [2]. Evenerunt hæc a. 49; ante hunc annum consulatum Gallionis vix ponere licet; eum autem non multo post, favente Agrippina, consulem creatum vel suffectum esse [3], atque adeo a. 53 Proconsulis partes in Achaia gerere potuisse, omni ratione se nobis commendat [4].

---

1) Dio Cassius l. 60. pag. 670.
2) Taciti Annal. l. 12. c. 8.
3) Vid. Anger l. c. pag. 119.
4) Cfr. Baronii Ann. ad a. 53 num. 33.

Paulus autem, Corinthum adveniens, Aquilam Judæum ibi reperit, *προςφάτως ἐληλυθότα ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, διὰ τὸ διατεταχέναι Κλαύδιον χωρίζεσθαι πάντας τοὺς Ἰουδαίους ἀπὸ τῆς Ῥώμης* (Act. 18, 2). De hoc Claudii decreto, quod non diu valuisse liquet, multum ambigitur. Orosius [5]) quidem Josephum referre ait, expulsos esse Judæos urbe anno Claudii 9no i. e. a. æræ nostræ 50 vel 51; apud Josephum autem de hac re nihil reperitur. Dio Cassius [6]) narrat, Judæos quidem non expulsos esse, id quod propter multitudinem eorum non liceret, Claudium autem vetuisse, ne patrio more convenirent; hoc vero decretum, etsi Judæis plerisque causam ex urbe discedendi facile dare potuit, quum a Dione ad initium imperii Claudiani referri videatur, vix illud esse potest, de quo apud Lucam sermo est. Suetonius [7]), nulla temporis mentione adiecta, refert, Claudium Judæos, „impulsore Chresto adsidue tumultuantes" Roma expulisse, quod, sive cum Baronio [8]) ad eos tumultus referas, quos inter Judæos Romæ excitasse adnunciationem evangelii probabile est, sive ad illos, quos in provinciis adsidue locum habuisse novimus, certe non nisi postremis annis Claudii evenit. His annis superstitionem peregrinam indignationem Claudii movisse, etiam aliunde constat. Furius Scribonianus in exsilium actus est, „quasi finem principis per Chaldæos scrutaretur", et de mathematicis Italia pellendis factum est senatus consultum a. 52 [9]). Neque tunc aderat Judæorum protector Agrippa II. Is enim, ut ante eum pater, summo Claudii favore gaudebat, et pro certo statuendum est, decretum de Judæis pellendis, illo Romæ præsente, haud latum esse. Quum autem a. 49 rex Chalcidis constitutus esset [10]), neque Cæsaris liberti et amici a partibus Judæo-

---

5) Histor. lib. 7. c. 6.

6) Lib. 60. pag. 669.

7) In Claudio cap. 25.

8) Annal. ad a. 51. num. 1.

9) Taciti Ann. l. 12, c. 52. In editionibus Annalium Taciti recentioribus germanicis, post Ernestianam, vitium irrepsisse, ita ut ab a. 50 inde unus annus ab illis in margine notatis subtrahendus sit, observavit Goeschenius, Bemerkungen zur Chronologie des N. T. Theol. Stud. u. Kritiken 1831. II. 729.

10) Joseph. Antt. 20, 5, 2. De Bell. jud. 2, 12, 1.

rum starent [11]), tale contra Judæos decretum, etsi mox irritum futurum, facile elici potuit.

Omnia igitur bene consentiunt, si statuimus, Paulum versus finem a. 52 Corinthum venisse. Si nihilo minus ulla dubitandi causa superesse videtur, eam, ni fallor, tollet quæ in sequentibus instituetur disquisitio.

8.

Alio loco evincere conati sumus, epistolam ad Galatas Corinthi, et quidem brevi post adventum Pauli, scriptam esse [1]). Bis iam inter Galatas versatus erat Paulus, quum epistolam scriberet (Gal. 4, 13); quoniam autem primam eius in his regionibus conversationem ad illud tempus, quod in Actis App. cap. 13 et 14 describitur, retulimus (§ 6), secundum iter Galaticum illud erit, quod Act. cap. 16 memoratur. Non multo post turbatæ sunt falsa doctrina ecclesiæ Galaticæ, qua de re certior factus Paulus, mox, quum Corinthi tranquillior quodammodo status ei contigisset, summo fervore animi iis exprobrat, quod tam cito (1, 6.) — vix enim 4 vel 5 anni elapsi erant, a quo tempore evangelium eiusque præconem Paulum flagrantissimo amore acceperant — se ad aliam doctrinam abripi paterentur [2]). Scripta videtur epistola ante adventum Timothei, cuius ope in hac epistola scribenda non usus est (6, 11), et cuius nullam salutationem adiunxit.

Exstant porro in sacro codice aliæ duæ ad Thessalonicenses epistolæ Corinthi ab Apostolo exaratæ. Athenis, ut supra adnotavimus, Timotheum Thessalonicam miserat, quum ipse frustra exspectasset, ut, sedato tumultu, ad eos reverti sibi liceret (Thess. 2, 18). Redierat iam Timotheus, et omnia læta adnunciaverat (3, 6); effundit igitur in hac epistola intimos pectoris sensus

---

[11]) Jos. Antt. 20, 6, 3.

[1]) Kl. theol. Schriften S. 70 ff.

[2]) Existimat quidem Schleiermacherus (in opere posthumo Einleitung ins N. T. Werke z. Theol. VIII, 145), verbis οὕτω ταχέως nihil aliud significari, quam falsis doctoribus non multi temporis atque laboris opus fuisse, ut Galatas in errorem ducerent. Vulgaris autem interpretatio sine dubio lectoribus se magis commendabit.

Apostolus, et, ad constantiam, honestatem mutuumque amorem exhortans, animos lectorum erigit eorumque luctum defunctorum consolatur spe adventus Domini, quem vividis coloribus depingit, simul admonens, illum diem inopinato esse venturum, terroremque iis, qui securam agunt vitam, incussurum (4, 14 — 5, 3). Hæc ita accepisse videntur Thessalonicenses, ac si adnunciaret Apostolus prope instare diem Domini, atque ideo mente turbatos fuisse (2 Thess. 2, 1—2). Apostolus vero, sibi conscius nihil tale e dictis in priore epistola iure erui posse, veritusque, ne epistolæ suppositiæ suo nomine circumferrentur (cfr. 3, 17), quæ tamen fortasse non revera existebant, ut turbas motas sedaret animosque tranquilliores redderet, alteram iis mittit epistolam, de qua hoc loco nihil aliud observandum est, quam scriptam esse hanc quoque Corinthi, tanto a priore intervallo, quanto opus erat, ut priores literæ Thessalonicam pervenirent et de effectu earum nuncius Corinthum perferretur. Aderant adhuc Silvanus et Timotheus (1, 1).

9.

Post illos tumultus Corinthi Gallione Proconsule Lucas Paulum porro *ἡμέρας ἱκανας* in hac urbe remansisse narrat (Act. 18, 18), quod temporis spatium sine dubio iam in illo uno et dimidio anno supra (v. 11) memorato continetur. Paulus igitur, hoc tempore elapso, in Syriam enavigavit, Ephesumque pervenit; inde vero, nulla mora interiecta, Hierosolymam petiit [1]), festum instans ibi celebraturus (v. 18—22). Erat hoc festum, sive paschatis, sive, quod secundum anni tempus probabilius est, pentecostes anni 54. Hierosolymæ, ut videtur, haud diu commoratus, Antiochiam descendit, ibique aliquantum remansit (*ποιήσας χρόνον τινὰ* v. 22. 23). Galaticam deinde regionem et Phrygiam denuo visitavit (v. 23), ubi de collecta, quæ in Judæam mitteretur, præcepit (1 Cor. 16, 1), tandem-

---

[1]) Verba illa Act. 18, 21: *Δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱεροσόλυμα* genuina esse, persuasum habemus; neque enim alia ratio aderat, cur tantopere festinaret Apostolus, neque facile intelligi potest, quomodo hæc verba, nisi ab Apostolo scripta, irrepserint.

que Ephesi, versus finem a. 54, ut videtur, sedem constituit. Ibi, ut ipse postea coram senioribus Ephesiis professus est, triennium transegit (Act. 20, 31); huic autem commorationi paulo brevius temporis spatium adsignare videtur Lucas, quum eum primum per tres menses in synagoga libere loquutum fuisse, postea vero, quum nonnulli Judæorum impudentius agerent, per biennium in schola Tyranni cuiusdam disseruisse narret (19, 8—10). Facile autem inter se conciliantur hæ uarrationes; neque enim verba Pauli ita premenda sunt, ac si aliquot menses in illo triennio deesse plane negandum sit, neque verba Lucæ, ac si non aliquod tempus præter illud biennium effluxerit. Neque aliud Lucas adseverat, quam biennio, præter illos tres menses antea commemoratos, elapso, animo constituisse Paulum Macedoniam et Achaiam revisere; hoc vero iter non confestim adgressus est, sed, Timotheo et Erasto in Macedoniam ablegatis, ipse *ἐπέσχεν χρόνον εἰς τὴν Ἀσίαν* (19, 21. 22). Concludimus ergo, eum paulo brevius triennio Ephesi versatum fuisse.

Etiam hanc commorationem Ephesiam scriptis illustravit Apostolus. Miserat iam ante, id quod ex 1 Cor. 5, 9 omnino constat, ad ecclesiam Corinthiacam, sine dubio etiam ex Epheso, epistolam, quam deperditam esse omnes dolemus [2]), eam autem, quam iam primam vocamus, Ephesi scriptam esse ipsa testatur (1 Cor. 16, 8, 9), neque de tempore, quo data sit, dubii hærere possumus. Scribit enim Paulus (l. c.), se Ephesi usque ad tempus Pentecostes remansurm, neque non alio loco (5, 7) haud obscure innuit, scripta esse hæc tempore azymorum. Habebat quidem Apostolus Ephesi multos adversarios, ad quos haud dubie spectat illud *ἐθηριομάχησα* (15, 32), quod de vera pugna cum bestiis perperam interpretantur nonnulli, quum autem adhuc ianuam sibi apertam, in docendo videlicet, videret (16, 9), hæc sine dubio scripta sunt ante illum a Demetrio excitatum tumultum (Act. 19, 23 sqq.), quo sedato Ephesum mox reliquit (20, 1). Missus erat Timotheus eo consilio, ut etiam Corinthum visitaret

---

[2]) Eam enim epistolam, quæ hoc nomine circumfertur, spuriam esse, non opus est, ut hoc loco demonstremus.

(1 Cor. 4, 17), quum autem Macedoniam primum adiret, Corinthum non nisi postquam accepta esset hæc epistola, adtingere potuit (16, 10). Omnia itaque ad illud temporis momentum, quod Act. 19, 22 definitur, nos ablegant.

10.

Habuerat in animo Paulus, Epheso digrediens, Corinthum venire, et inde, post excursum in Macedoniam, in Judæam deduci (2 Cor. 1, 15. 16), quod consilium, sive iu priore illa, nunc deperdita, epistola, sive alia via cum Corinthiis communicavit. Postea vero, variis adductus rationibus, Macedoniam prius adire decrevit, epistolam autem misit, cuius effectum, antequam ipse veniret, comperire cupiit, Timotheum vero in Macedoniam ablegavit, postea Corinthum aditurum (§ 9). Timotheus autem Corinthum pervenisse haud videtur [1]), fortasse quia Paulus ob tumultum a Demetrio excitatum Ephesum paulo ante, quam voluntas fuerat, reliquerat, Apostolo autem iu Macedonia iterum se adiunxit (2 Cor. 1, 1). Titum iam superiore anno [2]), ut videtur, Corinthum miserat (2 Cor. 8, 6. 10. 9, 2. 12. 18. cfr. 1 Cor. 16, 1), cuius reditum iam Troade anxius exspectavit (2 Cor. 2, 12), neque tamen ante quam in Macedonia eum iterum videre contigit (7, 5. 6). Paulus enim, Epheso circa festum Pentecostes a. 57, vel paulo ante, relicta, in Macedoniam profectus est, et, peragratis illis regionibus, in Græciam devenit, unde post commorationem trium mensium in Syriam enavigaturus erat, sed, insidiantibus Judæis, consilium cepit per Macedouiam revertendi (Act. 20, 1—3). Philippis igitur, et quidem post festum azymorum, enavigavit, Troademque quinque diebus devectus, septem ibi dies commoratus est (v. 6). Inde Miletum petiit, quorsum seniores Ephesios evocavit, festinabat enim, ut, si fieri posset, diem Pentecostes Hierosolymæ transigeret (v. 15—17). Inde, satis longo cursu, cuius ampliorem

---

1) Hemsen, der Apostel Paulus S. 276 f.

2) Billroth Commentar zu den Briefen an die Cor. S. XXVIII f. Rückert, die Briefe Pauli an die Cor. II. 411. Titum deperditam illam primam epistolam Corinthiis adportasse, vero similis est coniectura Schraderi (der Apostel Paulus I. 137 ff.).

descriptionem Lucas dedit, Cæsaream devenit (21, 1—8), unde Hierosolymam adscendit (v. 15), itaque circa tempus festi Pentecostes a. 58.

Quum non nisi tres menses anni illius, post discessum ex Epheso, in Achaia transegerit Apostolus, si ultimo itiueri quinque vel sex hebdomades conceduntur, reliqua pars commorationi in Macedonia, i. e. haud dubie Philippis, Thessalonicæ et Beroeæ, adtribnenda erit. Hoc tempore, unde vero non constat, scripta est secunda ad Corinthios epistola. Ostenduut omnia, hanc epistolam non multo post priorem scriptam esse. Evaserat nuper Paulus in Asia ex summo vitæ discrimine (2 Cor. 1, 8 sqq.), Troadem pervenerat, atque inde in Macedoniam, Titum quæsiturus, profectus erat (2, 12, 13); iam, adventu Titi recreatus (7, 6. 7), propositum habebat Corinthios cum Macedonibus quibusdam visere (9, 4).

Mira autem hic occurrit observatio. Ex historia Pauli hactenus enarrata uihil omnino adparet, unde colligere possimus, Paulum, nisi semel, illo ipso tempore, cuius Act. cap. 18 mentio fit, Corinthi fuisse, neque priorem epistolam perlegenti se quidquam offert, quod in opinionem inducere possit, Paulum tunc iam bis hanc urbem visitasse. Neque aliter se res habet in prioribus capitibus epistolæ posterioris. Existimant quidem nonnulli, verba Pauli: *Ἔκρινα δὲ ἐμαυτῷ τοῦτο, τὸ μὴ πάλιν ἐν λύπῃ πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν* (2 Cor. 2, 1) priori illi commorationi non convenire, in qua nihil triste Apostolo acciderit, unde colligunt, eum alia vice inter Corinthios, et quidem tristitia adfectum, versatum fuisse. At minime necesse est, ut *τὸ ἐν λύπῃ* ad præcedens *πάλιν* trahatur, quod rectius cum verbo *ἐλθεῖν* coniungendum est [3]); hæc enim est sententia Pauli, uolle se, quum rediret, Corinthiis causam tristitiæ esse. Similem constructionem habemus 1 Cor. 16, 7: *Ὀυ θέλω γὰρ ὑμᾶς ἄρτι ἐν παρόδῳ ἰδεῖν,* unde nullo modo concludi potest, Paulum eos antea *ἐν παρόδῳ* vidisse. Errant præterea, qui, potuisse illis temporibus coetum christianum condi sine vexatione et anxietate, existimant, quod neque Corinthi licuisse ex Act. cap. 18 constat; quid, quod ipse Paulus se inter Corinthios *ἐν ἀσθενείᾳ καὶ ἐν φόβῳ*

---

[3]) Cfr. De Wettius ad h. l.

καὶ τρόμῳ πολλῷ versatum fuisse testatur (1 Cor. 2, 3). Quod autem omnem cogitationem de altera commoratione Corinthiaca, antequam hæc scripta sint, abiicere nos cogit, est ille locus 2 Cor. 1, 15: *Ἐβουλόμην πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν πρότερον, ἵνα δευτέραν χάριν ἔχητε,* quæ verba ad nullam aliam sententiam torqueri possunt, quam Apostolo in animo esse iam altera vice eos visitare. Sunt porro in prima parte epistolæ omnia, si non læta, tamen placida; recreatus est Apostoli animus testificatione amoris et obedientiæ Corinthiorum, ideoque ad omnia excusanda proclivis est, et quæ in priore epistola acerbius dixerat, iam emollire studet. A capite vero 10mo longe alia est sermonis indoles; incipit iam Apostolus suo ipsius, neque amplius Timothei etiam, nomine loqui: *Αὐτὸς δὲ ἐγὼ Παῦλος* (10, 1); in Corinthios ob levitatem et inflatum animum acerrime invehitur, ipse vehementius commotus causam suam agere cogitur, suntque omnia ita mutata, ut iam non de secunda, sed de tertia profectione ad Corinthios sermo sit: *Τρίτον τοῦτο ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς* (12, 14)· *τρίτον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς· προείρηκα καὶ προλέγω, ὡς παρὼν τὸ δεύτερον, καὶ ἀπὼν νῦν — — — ὅτι, ἐὰν ἔλθω εἰς τὸ πάλιν, οὐ φείσομαι* (13, 1. 2)· Hæc post ea, quæ monuit Bleekius [4]), vix ad aliam sententiam, quam Apostolum iam adnunciare tertium suum adventum, eumque igitur antea bis Corinthi adfuisse, trahere vix tentabunt interpretes.

Nolumus hoc loco varias eruditorum de hac re opiniones recensere, præsertim quum id summa, ut solet, industria egerit Angerus [5]). Sed si quid video, ea, quæ in 9 prioribus capitibus continentur, quæque in 4 posterioribus leguntur, non uno tenore scripta sunt, intercessit autem intervallum, in quo rerum status mutatus animusque scribentis aliter, quam antea, adfectus sit. Webero [6]) quidem non adsentior, epistolam nostram in

---

[4]) Erörterungen in Beziehung auf die Briefe Pauli an die Corinther. Theol. Studien u. Kritiken 1830. II. 616 ff. Cur autem in ceteris Bleekio non adstipulemur, supra adlata demonstrant.

[5]) l. c. pag. 70 sqq.

[6]) Cuius de hac quæstione programmata tamen mihi non nisi e Bertholdtii Einleitung in sämmtl. Schriften des A. u. N. Testaments VI. 3386 et ex aliis citationibns innotuerunt.

plures epistolas dirimenti, mihi autem hanc quæstionem adcuratius perscrutanti, neque olim, neque nunc alia solutio admittenda videtur, quam, impeditum fuisse Paulum in itinere, quo minus epistolam ad finem perduceret, eamque imperfectam secum Corinthum adtulisse, ibi vero eum non omnia læta reperisse, exstitisse autem nonnullos, qui de eius auctoritate detrahere, idque non sine effectu quodam, studerent. His præsens omni lenitate et humanitate occurrere tentavit (12, 1. 10), sed, ut videtur, frustra. Intra illos vero tres menses, quos huic commorationi tribuit Lucas, iter in alium locum Græciæ susceptum incidisse, non possumus, quin statuamus; neque enim Corinthi, sed in Græcia Paulum per tres menses commoratum esse, refert Lucas (Act. 20, 2. 3). Si ponimus, in hoc itinere ad Paulum relatum esse, adversarios, eius absentia fretos, caput sustulisse eumque omnibus calumniis petiisse, bene intelligimus, incitatum fuisse Paulum, ut talem finem epistolæ imponeret, eamque, iam plenam et absolutam, tamquam præcursorem tertii sui adventus Corinthum mitteret.

Etiamsi vero in has re incerti aliquid remanet, nulla, quod ad epistolam ad Romanos adtinet, dubitandi ratio adest. Scripta enim est hæc epistola Corinthi, et quidem hoc tempore. Ephesi iam sibi proposuerat Apostolus Macedoniam et Achaiam peragrare, deinde Hierosolymam proficisci, quo facto Romam videre voluit (Act. 19, 21). Iam in eo erat, ut cum pecunia, quam ad sublevandos pauperes in Judæa coetus Macedoniæ et Achaiæ collegerant, Hierosolymam proficisceretur, unde Romam se conferre voluit, et deinde in Hispaniam abire (Rom. 15. 25—28). Phoeben, ministram ecclesiæ, quæ Cenchreis, suburbio Corinthiaco, erat, Romanis commendat (16, 1), neque non Caius, a quo salutationem adiungit, quemque suum et totius ecclesiæ hospitem adpellat (v. 23), Corinthi degebat, ubi Apostolus eum baptizaverat (1 Cor. 1, 14) [7].

---

[7]) De his vid. Scharlingius in Tidsskrivt for Kirke og Theologie udg. af J. Møller II. 224.

11.

Paulus, quum, ut nostra opinio fert, circa festum Pentecostes a. 58, Hierosolymam advenisset, post paucos dies, tumultu exorto, a furore populi vix ac ne vix quidem per milites eripitur, vinctusque in arcem ducitur (Act. 21, 27 sqq), mox vero Cæsaream ad Felicem procuratorem mittitur (23, 24). Accusabat eum Ananias, sacerdos summus, cum senioribus coram procuratore, qui eum etiam, præsente uxore Drusilla, Judæa, examinabat, et sæpius cum eo conversabatur, nihil autem in eius causa decernens, cum per biennium Cæsareæ in custodia, etsi leniore, retinuit. Hoc tempore elapso, Festum successorem nactus est Felix, Paulumque vinctum reliquit (v. 23—37). Paulus autem, quum etiam coram Festo causam dixisset, vereretur que, ne Hierosolymam mitteretur, ad Cæsarem provocavit (25, 11). Hinc, data antea Agrippæ regi et uxori Berenicæ occasione eum audiendi, navi cum aliis quibusdam captivis impositus, in Italiam profectus est. Id autem, si rationem temporum recte descripsimus, versus auctumnum anni 60 factum esse, sequitur.

Iam vero, quæ in antecedentibus exposuimus, egregie confirmantur, quum a viro eruditissimo et sagacissimo, Angero, omni sollertia et circumspectione demonstratum sit, hoc anno et dimissionem Felicis et successionem Festi locum habuisse [1]). Ad hunc scriptorem, quem quæstionem vexatissimam expedivisse omniaque dubia removisse grati agnoscimus, ceterum lectores ablegare licebit, hoc loco modo ea exhibentes, in quibus cardo rei versatur.

Felix, quum coram eo Paulus sisteretur, procurator erat Judææ, et quidem *ἐκ πολλῶν ἐτῶν* (Act. 24, 10). Successit is Cumano, in exsilium misso, paulo ante quam Agrippam tetrarchia Philippi donaret Claudius, id quod, teste Josepho, factum est, quum hic duodecimum annum imperii complevisset [2]), i. e. post a. d. IX Cal. Febr. a. 53. Felix ergo non se-

[1]) l. c. pag. 88 sqq.

[2]) Joseph. Antt. 20, 7, 1. *Πέμπει δὲ καὶ Κλαύδιος Φήλικα Πάλλαντος ἀδελφὸν τῶν κατὰ τὴν Ἰουδαίαν προστησάμενον πραγμάτων. τῆς δὲ ἀρχῆς δωδέκατον ἔτος ἤδη πεπληρωκώς, δωρεῖται τὸν Ἀγρίππα τῇ Φιλίππου τετραρχίᾳ κ. τ. λ.* De Bello Jud. 2, 12, 8.

rius quam vergente a. 52 in Judæam missus est, potuitque quidem post quinque annos in hoc munere exactos, quum alias crebro permutarentur procuratores, a multis annis iudicem populi fuisse, dici. Nescio autem, cur Angerus statuat, missionem Felicis illi donationi immediate antecessisse, quod e verbis Josephi non sequitur. Accedit, quod Tacitus tradit, Felicem iam eo tempore, quo Cumanus Judææ et Galilææ præfectus esset, Samaritis præfuisse [3]). Obstat quidem, quod Josephus hanc divisionem præfecturæ prorsus ignorare, et e contrario, Felicem non ante exsilium Cumani in Palæstinam missum esse, indicare videtur. Est autem Tacitus in hac narratione adeo copiosus, ut hanc rem omni fundamento carere vix existimem, discrepantiam vero potius negligentiæ Josephi, quam errori Taciti, adscribere proclivis sim [4]). Utut hæc res se habet, Felicem illo tempore Cumano in præfectura successisse, consentit quoque Tacitus. Quod vero ad illum annum adtinet, quo Felix præfectura abierit, constat ex Josepho [5]), primores Judæorum Cæsaream incolentium mox post adventum successoris Romam adiisse Felicem adcusaturos, eumque non nisi precibus Pallantis, fratris, qui tunc apud Neronem in summo honore erat, poena esse liberatum. Pallas quidem Neroni initio imperii displicuerat, qui ei curam ærarii ademit [6]), postea autem favorem principis recuperavit, etsi ab ipso tandem, quod, ut ait Tacitus, immensam pecuuiam longa senecta detineret, veneno interficeretur [7]). Quum autem a. 62 obiit Pallas, reditus Felicis e præfectura non post a. 61 poni potest. Successorem habuit Porcium Festum, cui, quum non diu munere fuuctus esset, morte abrepto successit Albinus. Adparet autem ex Josepho, Albinum iam a. 62 procu-

---

[3]) Tac. Ann. l. 12. c. 54.

[4]) Nobiscum facit Ernestius, cuius verba (in ann. ad h. l. Taciti) adferre lubet: „His, ut pro Tacito iudicem, facit primo rei magnitudo et insolentia, quæ non sinit hæc ficta credere. Novum enim est, duos procuratores Judæis esse eodem tempore, quod Tacitus sine auctoribus vix scripserit. Accedit Lucæ auctoritas, sive potius Pauli, qui Felicem multos annos Judæis præfuisse dicit".

[5]) Antt. 20, 8, 9.

[6]) Tac. Ann. l. 13. c. 2 et 14.

[7]) Ibid. l. 14. c. 65.

ratorem Judææ fuisse [8]), neque tamen tempus procurationis Festi nimis restringere licet. Hoc enim tempore Agrippa magnam sibi ædificaverat domum, ita sitam, ut e triclinio, quum illic decumberet, quicquid in templo ageretur spectare posset. Hac re indignati Hierosolymitanorum proceres murum altum exstruxerunt, qui prospectum e triclinio interciperet; quod quum ægre ferrent Agrippa et maxime Festus, murum dirui iusserunt. Judæi autem, impetrata venia, de hac re legatos ad Cæsarem miserunt, qui, uxori Poppææ, religioni Judæorum addictæ, ut murus maneret, concessit [9]). Hæc omnia peracta videntur Festo adhuc vivo, neque tamen in brevius temporis spatium quam biennii facile includi possunt, adeo ut iam a. 60 præfecturam suscepisse Festum verosimillimum sit. Sunt et alia, quæ idem suadent, quæ tamen, ne prolixiores simus, hoc loco prætermittimus, id modo observantes, omnia optime consentire, ut Paulum a. 60 a Festo Romam missum esse statuamus.

12.

Quæ Paulo cnm sociis in boc itinere acciderunt, Lucas in Act. cap. 27 et 28 uberius exposuit. Naufragio ad Melitam facto, in hac insula hiemem transegerunt, primo autem vere anni inseqnentis, i. e. ex nostra computatione a. 61, in Italiam devecti. Romam demum pervenerunt, ubi centurio captivos præfecto prætorio (τῷ στρατοπεδάρχῃ) tradidit (Act. 28, 16), qua re confirmatur, quam amplexi sumus, sententia. Erat enim hoc tempore non nisi unus præfectus prætorio, Burrus scilicet, quum ante et post eum bini præfecti essent, quapropter etiam usus loquendi ferebat, ut vincti *præfectis* tradi dicerentur [1]). Burrus autem, ut refert Tacitus, a. 62 vita concessit, incertum valetudine, an veneno [2]). Obiit autem is primis anni mensibus, Paulus vero non nisi aliquanto serius Romam pervenire po-

---

[8]) Bell. Jud. 6, 5, 3. Cfr. Anger pag. 101 sqq.
[9]) Antt. 20, 8, 11.
[1]) Vid. Pearsonii Annales Paulini, in Opp. Posthumis pag. 18. Anger pag. 100. sqq.
[2]) Tac. Ann. l. 14. c. 51.

tuit [3]); si igitur Paulus uni præfecto, i. e. Burro, traditus sit, id ante a. 62 factum esse sequitur.

Romæ Paulo permissum est, ut cum milite eum custodiente in privatis ædibus maneret (Act. 28, 16); mansit autem per biennium integrum in suo domicilio mercede conducto, omnesque ad eum ingredientes excipiebat, summa cum libertate, nemine prohibente, regnum divinum et Christum prædicans (v. 30. 31).

Ex hac captivitate Romana pretiosisma exstant monumenta, quatuor scilicet Panli epistolæ. Harum tres, epistolas ad Ephesios, Colossenses et Philemonem, nou Romæ, sed Cæsareæ scriptas esse statuit D. Schultzius [4]), neque tamen idoneis rationibus sententiam suam evincere potuit. Etiamsi incerti hæreremus, ad quemnam locum illæ epistolæ essent referendæ, tutius omnino foret traditionem sequi, quæ Romam tamquam locum, unde datæ sint, constanter designat. Multa autem adtulerunt viri docti [5]), quæ omnino pro Roma faciunt, quibus adsentire non dubitamus; quum autem, quæ iam adlata sunt, argumenta repetere non lubeat, hoc loco in paucis quibusdam adnotationibus adquiescemus. Paulus in epistola ad Philemonem, Colossis degentem (Col. 4, 9), certe eodem tempore, qno ceteræ duæ, scripta, hunc sibi hospitium parare iubet (Philem. v. 22); spem igitur fovebat, fore, ut mox in libertatem restitueretur, quo facto, in animo habebat Colossas se conferre; hoc autem, quamdiu Cæsareæ detineretur Romanumque iter instaret, sibi proponere nequivit. Recte quidem monuit Wiggersius [6]), adpellationem ad Cæsarem, quæ in causa fuit, cur Romam mitteretur, non ante adventum Festi locum habuisse (Act. 25, 10. 11), itaque versus finem captivitatis Cæsareensis; attamen, etiamsi concedimus, potuisse Paulum sub Felice sperare, se vinculis liberatum iri, eo tamen tempore consilium Co-

---

3) Anger l. c.

4) Theol. Studien u. Kritiken 1829. S. 612 ff.

5) Harleß, Commentar über den Brief an die Epheser. Einl. S. LXIII ff. Guericke, Historisch-kritische Einleitung in das N. T. S. 370 ff. Neander, Geschichte der Pflanzung ꝛc. I. 372 f. Steiger, der Brief Pauli an die Kolosser S. 335 ff. ꝛc.

6) Beiträge zur Einleitung in die Briefe an die Eph., Kol. und an d. Philemon. Theol. Studien u. Kritiken 1841. I. 439.

lossas proficiscendi ei minime tribuere possumus, quum contra omnis eius animi intentio ad Romam conversa esset, quorsum euudi propositum iam diu captum (Rom. 15, 23 sqq. Act. 19, 21) tandem perficere iam ab initio captivitatis visione Domini excitatus erat (Act. 23, 11). Ostendunt porro omnia, multum temporis inter commorationem Apostoli Ephesiam et scriptionem harum epistolarum effluxisse, novos homines interea surrexisse, novosque errores in illas regiones irrepsisse, adeo ut rectius ad seriores quam ad priores captivitatis Pauli annos referendæ sint, qua ratione difficultates etiam, quibus epistola ad Ephesios, ut mox videbimus, premitur, magna ex parte tolluntur.

Est enim hæc epistola nostris temporibus acerrime impugnata, neque diffitendum est, eam non ita compositam esse, ut inde illa familiaritas, quam tam diuturna consnetudine cum ecclesia Ephesia contraxisse Apostolum necesse est, eluceat, neque illius animi commotionis, quæ in valedicendo senioribus Ephesiis (Act. 20, 18 sqq.) tam luculenter se exseruit, vestigium usquam apparere, contra autem omnia ita esse comparata, ut Apostolus homines, quos videre ipsi non contigerat, quorumque fidem et amorem audiendo tantum compererat (Eph. 1, 15), quique ipsius in re christiana intelligentiam legendo primum perspicerent (3, 2—8), adloqui videatur. Adripuerunt hanc observationem lubenter, qui studio monumenta sacra et in uuiversum omnia prisci illius ævi christiani documenta adtenuandi dueuntur, ut hanc etiam epistolam e numero scriptorum apostolicorum eliminarent, eamque tamquam a falsario quodam ex epistola ad Colossenses consutam describerent. Viri autem pii et docti, genuino sensu critico imbuti, facile animadvertentes, se in hac epistola legenda longe aliter adfici, quam scripto aliquo spurio et fictitio, auctorem agnoverunt ductrina et intelligentia præcellentem, cui uon opus esset, ut ab alio argumentum scribendi mutuo sumeret, intellexerunt autem auctorem huius epistolæ, summa libertate, elatione et magnitudine animi in tota tractatio nemateriæ versatum, lectores, etsi non familiariter. attamen ex intimis pectoris sensibus adloquutum esse. Reputantes porro, suffultam esse hanc epistolam testimonio totius ecclesiæ antiquæ, neque fieri potuisse, ut spuria epistola in ecclesiis,

præsestim in Ephesia, nemine contradicente, reciperetur, omnia potius tentanda esse iudicarunt, quam epistolam nostram νοθείας crimine premi concedere. Nos quidem his accedentes, quamquam in inscriptione neque verba ἐν Ἐφέσῳ delenda, neque quidquam mutandum esse concedimus, epistolam tamen encyclicam, vel pluribus ecclesiis destinatam fuisse arbitramur. Haud vero idcirco statuimus, Tychicum plura exemplaria, et unum quidem Ephesiis, alterum Laodicenis etc. inscriptum, secum adportasse, quæ coniectura nostra quidem tempora, minime vero tempora Apostoli, redolet. Scriptæ sunt hæ epistolæ, ut ex illa ad Philemonem adparet, quum iam non ita multo post in libertatem restitui sperare posset Apostolus, maiore itaque parte illius biennii, quod Romæ transegit, iam elapsa. Aberat iam ab Epheso quinque circiter annos, et mutata erat certe hoc tempore facies ecclesiæ, novis hominibus auctus erat coetus Ephesius, novisque ecclesiis sine dubio adiacens regio, novæ doctrinæ, ut præviderat Apostolus (Act. 20, 30), in ecclesiis spargebantur, neque defuerunt adversarii, qui auctoritatem Apostoli imminuere tentarent, eum tamquam hominem indoctum, qui veritatem abstrusiorem perspicere non valeret, depingentes. Hunc rerum Asiaticarum statum Paulus per Epaphram resciverat (Col. 1, 8); hic tamen, quum vix alius sit, quam ille Epaphroditus, per quem dona Apostolo misit ecclesia Philippensis (Phil. 4, 18), non directe ex Asia, sed per Macedoniam Romam venit, neque igitur novissima, quæ in ecclesiis Asiæ forsan acciderant, referre potuit. Jam in Asiam iter facturus erat Tychicus, et quidem, ut videtur, ita, ut primum Ephesum, postea vero etiam alias urbes in vicinia positas, Laodiceam maxime et Colossas, viseret. Huic quum literas admonitorias et hortatorias ad hasce ecclesias perferendas tradere vellet Apostolus, epistolam nostram ita composuit, ut ad omnium illarum ecclesiarum conditionem aptata esset, separatim vero tales admonitiones contineret, quibus Ephesiis opus esset, et quibus criminationibus adversariorum, etsi hos directe perstringere nolebat, occurreret. Inscripta est epistola ad Ephesios, utpote qui eam primum legerent, est autem haud dubie eadem epistola, quæ Col. 4, 10 ἡ ἐκ Λαοδικείας nuncupatur, quoniam ex mandato Apostoli postea Laodicensibus traderetur vel mitteretur, qua de re dispu-

tare, post nuperrimam Angeri disquisitiouem [7]), iam superfiuum ducimus. Consilium Colossensibus separatim scribendi serius cepisse videtur Apostolns, Tychico fortasse rogante. In hac epistola idem tractat argumentum, summa autem cum libertate, adeo ut, si inscriptione in novis editionibus iam vulgari uti liceat, plane novum opns videri possit.

Nos enim in ea persistimus sententia, epistolam ad Ephesios priorem esse illa ad Colossenses. Recte quidem observat Sehleiermacherus [8]), in hac epistola omnia strictius et concinnius, quam in illa, tractata esse; ipse vero, quamquam inde argumentum capiens, cur huic epistolæ prior locus vindicetur, quasi se corrigens, addit: nisi in hac epistola novam tractationem (eine verbesserte Umarbeitung) dare voluerit Paulus. Nos, etsi tale consilium Apostolo non tribuimus, existimamus tamen id necessario fieri, ut, quæ prima tractatione copiosius adfluunt, neque statim in exactum ordinem disponantur, ea, si nova cura adhibita fuerit, in arctiores limites contrahantur, et firmiore progressu ad scopum propositum tendant. Hinc autem sequi arbitramur, epistolam ad Colossenses esse posteriorem, quum nulla ratio inversi ordinis adferri possit. Urget Harlesius [9]) particulam *καὶ*, Eph. 6, 21, ubi legimus: *Ἵνα δὲ εἰδῆτε κσὶ ὑμεῖς τὰ κατ᾽ ἐμέ, τὶ πράσσω*, quod ad Col. 4, 7: *τὰ κατ᾽ ἐμὲ πάντα γνωρίσει ὑμῖν Τυχικὸς* refert, ut dicere velit Paulus, Ephesios æque ac Colossenses, ad quos iam scripserat, res ipsius a Tychico compertas habituros. Quum autem nullo modo admitti possit, Apostolum illis verbis ad aliam epistolam, aliis hominibus scriptam, respicere, potius statuere licet, obversatum fuisse animo Apostoli, quod in epistola ad Colossenses (1, 8) diserte exprimit, se, quoniam de rebus eorum per Epaphram certior factus esset, velle, ut, quid ipse ageret, illi etiam per Tychicum cognoscerent.

---

7) Ueber den Laodicenerbrief. Leipzig 1843.

8) Ueber Koloss. 1, 15—20. Theol. Stud. u. Krit. 1832. II. 501. Quam arbitrarium sit in talibus rebus auctorum iudicium, apud Mayerhoffium videre est. qui (der Brief an die Kolosser, kritisch geprüft, S. 73 ff.) diligenti inter utramque epistolam institutа comparatione, omnia in favorem ep. ad Ephesios trahit.

9) l. c. pag. LIX sqq.

Epistola ad Philippenses paulo serius scripta est, quum iam vincula Apostoli in prætorio et Cæsaris domesticis magis innotuissent (Phil. 1, 13. 4, 22), iamque persuasum habere posset, se in hac vita permansurum esse (1, 25), et quum Epaphroditus, qui interea gravi morbo laboraverat, iam in eo esset, ut Philippos iter susciperet.

15.

Qui Paulum primum a. 62 Romam pervenisse contendunt, possunt aliqua certe veri specie statuere, eum in persecutione Neroniana supplicium passum esse, quum finis biennii a Paulo Romæ transacti, secundum illam coniecturam, in a. 64 incidat, quo anno incendium Romæ Neroni Christianos persequendi prætextum dedit. Si vero Paulus iam a. 61 Romam advenerit, exactum est illud biennium, cuius in fine Actorum (28, 30. 31) mentionem facit Lucas, anno persecutionem præcedente, unde sequitur, si hic rerum Paulinorum finis esset, eum non in hac persecutione periisse, sed, acta causa, ex sententia Cæsaris supplicio adfectum esse. Hoc autem modo plane incredibile est, Lucam, si paucis verbis exitum Pauli describere, atque ita toti de rebus eius narrationi finem imponere potuisset, hoc prætermissurum fuisse. Demonstrant itaque omnia, Lucam hic in scribendo substitisse, quod, exacto illo biennio, novum curriculum vitæ Paulo aperiretur, quod describere ei iam non in animo erat. Consentiunt quoque testimonia totius antiquitatis, neque minus idem probant epistolæ Pauli, quas pastorales vocant, quibus nullum aliud tempus, quam post primam captivitatem Romanam, adsignare possumus.

De his autem nihil habemus, quod iis addamus, quæ in Dissertatione de ultimis annis muneris apostolici a Paulo gesti, Haun. 1815 [1]), uberius exposuimus. Inter illa veterum de exitu Pauli testimonia insignem occu-

---

[1]) Kl. theologische Schriften S. 189. Eandem sententiam postea strenue defendit Boehlius in libro: Ueber die Zeit der Abfassung u. den Paulinischen Charakter der Briefe an Tim. u. Tit. 1829. Cfr. Guericks, Beiträge zur hist. krit. Einleitung ins N. T. S. 117 ff. In contrariam sententiam ivit Schenkel, die zweite Gefangenschaft des Apostels Paulus. Theol. Stud. u. Krit. 1841 I., 53 sqq.

pat locum, quod apud Clementem Romanum legitur: *Μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων* [2]), quæ verba cum plerisque ita interpretati sumus, ut dicat Clemens, Paulum martyrium passum esse. Contendunt autem Neander [3]) et Schraderus [4]), vocabulum illud nihil aliud significare, quam Paulum coram principibus fidem professum esse. At vero interpretationem vulgo receptam commendat totus loci contextus, neque vidcó, cur hunc usum loquendi ad seriora tempora referamus, quum iam illo tempore, quo scripserit Clemens, fuerint, qui professionem sangvine suo obsignarent, et sensu eminentiore nomen martyrum mererent, quod nomen iis inde ab antiquissimis temporibus adtributum esse, ex aliis etiam testimoniis constat [5]).

De authentia epistolarum ad Timotheum et Titum novissime iterum acriter pugnatum est [6]). Iu utramque partem dicta sunt sine dubio, quæ dici possunt, et eo perducta res est, ut — sit venia verbis! — sensui critico, æsthetico et christiano lectorum iudicium relinquatur.

---

2) Epist. 1 ad Corinthios c. 6.

3) Geschichte der Pfanzung d. chr. Kirche I. 398.

4) Der Apostel Paulus I. 236.

5) Vid. Credner, Einleitung in das N. T. I. 319.

6) Die sogenannten Pastoralbriefe des Apostels Paulus, aufs neue kritisch untersucht von Baur. 1835. Die Aechtheit der Pastoralbriefe vertheidigt von M. Baumgarten. 1837. Die Gnosis der Pastoralbriefe ist nicht die der Gnostiker des 2ten Jahrhunderts, von H. Böttger (Beiträge, Abth. 5). 1838. Cfr. R. Rothe, die Anfänge der christl. Kirche I. 322 f. 347. De Wette, Kurze Erklärung der Briefe an Titus, Timotheus u. die Hebräer. 1844. H. Thiersch, Versuch zur Herstellung des historischen Standpuncts für die Kritik der neutestamentlichen Schriften. Cap. 5. 1845. Scharling, de nyeste Undersøgelser angaaønde de saakaldte Pastoralbreve. Theologisk Tidsskrivt V. H. 2. S. 41 ff. N. Møller, Commentar over Pauli Pastoralbreve. 1842.

Absoluta iam tota nostra disquisitione, oblatus est liber Baurii: „Paulus, der Apostel Jesu Christi. Sein Leben und Wirken, seine Briefe nnd seine Lehre". Nihil autem in copioso hoc volumine invenimns, qnod aut historiæ Pauli novam lucem adfundat, aut nos ad rem cum auctore recognoscendam inducere possit.

Diu hæc præmeditata nunc in lucem proferendi occasionem dedit instans ecclesiæ nostræ solennitas. Defuncto enim Episcopo Arhusiensi, *Jano Paludano Müller*, Ordinis Danebrogici Commendatore eiusdemque Ordinis cruce argentea ornato, viro desideratissimo, subtilis ingenii et sincerrimi pectoris, ad sedem Arhusiensem translatus est Vir Reverendissimus, quem ante triennium nondum exactum inauguravimus, Episcopus Lalandiæ et Falstriæ, D. *Gerhardus Petrus Brammer*, in cuius locum a Rege Augustissimo suffectus est Vir Summe Venerandus *Petrus Christianus Stenersen Gad*, Theologiæ Doctor, hactenus ad ædem S. S. Trinitatis Hauniensem verbi divini minister, qui vitam suam anteactam iam, more solito, lectoribus benevolis ipse exponet.

*Natus sum ego **Petrus Christianus Stenersen Gad** anno 1797 die vicesimo septimo mensis Aprilis in parochia St. Petri, quæ in insula Boringia sita est. Patrem habui **Elieser Gad**, strenuum et disertum verbi divini ministrum, qui ante hos septem annos Roeskildæ diem supremum obiit, et matrem adhuc superstitem, **Sororem Christianam Stenersen**, e stirpe Norvegica illustri ortam. Quibus parentibus quot quantaque beneficia debeam, etiamsi possem, non huius loci est verbis celebrare. Ut quinque fratribus natu minoribus, qui omnes in hac universitate studia theologica absolverunt et muneribus ecclesiasticis diversi ordinis hodie præsunt, ita mihi contigit prima literarum elementa a patre edoceri, qui domi suæ scholas tam bene institutas habuit, ut quatuordecim annos natus scholæ Fredericoburgensi adscriptus post biennium et quod excurrit 1813 examen artium optimo successu sustinerem. Dum scholam frequentabam, optime de me meruerunt, ut præstantissimus scholæ rector B. **Bendtsen**, cuius commemoratio eadem laudatio est, ita magistri illustrissimi C. **Steenbloch** et C. **Hansteen**. In examine philologico et philosophico, quod anno sequenti absolvi, publico encomio ornatus partim pueris edocendis, quod exigua res familiaris postulavit, partim studiis theologicis operam dedi, tanta duntaxat nitens assiduitate, ut ante biennium præterlapsum laudabiles in theologia progressus probarem. In iisdem laboribus, in iisdem stu-*

*diis, quibus etiam additæ sunt subinde curæ quædam philologicæ, quatuor sequentes annos **Hafniæ** versatus sum, donec suadente et suffragante pristino rectore **Bendtsen**, 1821 huic paterno benefactori et magistris eiusdem scholæ, quam discipulus olim frequentaveram, adjunctus sum. **Tendebat** tamen animus ad munus sacerdotis obeundum, cuius onera et gaudia ab ineunte anno 1825 usque ad hunc diem largiter expertus sum, primum quatuor fere annos inter **Alburgenses** et **Trandersienses** versus meridiem sitos, quorum in me benevolentiam et verbi divini amorem grato animo semper recordor, deinde ab anno 1828 ad ædem **St. Virginis** et denique ab anno 1831 ad ædem **St. Trinitatis**, utramque **Hafniensem**, comminister. **Hæc** munera, quæ septendecim annos mihi tradita fuerunt in urbe frequentissima, in splendida literarum et artium sede, inter homines vario vitæ genere et conditione, gravissima officia imposuisse verbi divini ministro, his utique temporibus, semper cum anxietate quadam animi et quidem religione perpendi; alia insuper officia addidit studium, quo ad scholas melius instituendas, ad pauperes procurandos, ad litteras et res publicas adjuvandas ferebar, quibus tot tantisque officiis quatenus satisfecerim pro viribus animi et corporis a deo datis, judicent alii imbecillitatis humanæ haud immemores. **Equidem** infinita providi dei in me beneficia gratus agnosco; visæ mihi sunt sub onere crescere vires et inter optimos cives tot fautores et amici mihi benevole obviam venerunt, ut, quum aliis non probarer, bene et strenue agendi ut incitamentum ita præmium numquam desiderarem. **Inter** lætiores conatuum meorum fructus etiam jure numerandum est, quod, quum jam quotidiana intentio vires meas superare minabatur, **Rex Augustissimus** me dignum habuit, quem **Lollandiæ** et **Falstriæ** episcopum crearet. **Faxit** deus optimus maximus, ut, innumeris beneficiis divinis et humanis hucusque ornatus, gloriæ **Jesu Christi** et saluti hominum meæque ipsius strenue et candide serviam.*

*Ut jam pauca de rebus domesticis addam, ante hos viginti tres annos matrimonium inivi felicissimum cum virgine **Sophia Georgia Clausen**, filia defuncti præpositi **Dr.** theol. **H. G. Clausen**, quæ mihi fuit, quum omnium rerum mearum fidissima adjutrix et læti æquique animi causa,*

tum numerosæ prolis veri nominis mater, ex qua octo liberos sustuli, septem adhuc superstites, unam filiolam et sex filios, quorum jam quatuor civitatem academicam meruerunt, tantam bene sperandi et modeste precandi materiam.

Habes hic L. B. brevem rerum mearum adumbrationem, quas si qui accuratius cognoscere cupiant, eos delegatos velim ad vitæ meæ curriculum, quod invenitur in actis, quibus solemnia academica in coronandis Augustissimis principibus Rege Christiano VIII et Regina Carolina Amalia 1840 enarrantur, inter quæ solemnia summi in theologia honores in me delati sunt.

Scripta, quæ publici juris feci, hæc sunt:

Ὥρα. Prolusio ad indicendum examen publicum in schola Fredericoburgensi habendum. Hafniæ 1823.

For Huusandagt. En Samling oversatte, omarbeidede og originale Prædikener. Aalborg 1826. 1—2 Bind.

Den danske Præsts mislige Forhold til Ritualet. Et fornødent Selvforsvar. Kiøbenhavn 1831.

Om liturgisk Frihed. En Undersøgelse tilegnet de danske Biskopper. Kiøbenhavn 1832.

Liturgiske Blandinger. Kiøbenhavn 1834.

Om forberedende og høiere Realunderviisning. Kiøbenhavn 1835.

De Luthero principiorum rei liturgicæ æstimatore et arbitro. Dissertatio inauguralis. Hafniæ 1840.

Oversigt over det Søsterlige Velgiørenheds-Selskabs Historie. Kiøbenhavn 1840.

Præterea recensiones et commentatiunculas inserui scriptis periodicis:

Maanedsskrift for Litteratur, udgivet af et Selskab.

Dansk Folkeblad.

Dansk Ugeskrift, redigeret og udgivet af J. F. Schouw.

Ex collectione: Maanedsskrift for Litteratur, *seorsum typis expressæ sunt commentationes duæ:*

1) En geistlig Mands Bedømmelse af Magister Lindbergs Indlæg imod Pastor Visby. Kiøbenhavn 1832.

2) Anker, Ønsker og Forslag med Hensyn til Borger- og Almueskolevæsenet i Kiøbenhavn. Kiøbenhavn 1833.

Denique nonnullas conciones et orationes peculiaribus occasionibus habitas edidi, minoris quidem illas momenti, quam ut hic enumerentur.

Inaugurationem igitur uovi Episcopi, in æde Divæ Virginis peragendam, ex mandato Regis Clementissimi, in diem primum festum Adventus Domini, qui est 30^{mus} Novembris, indicimus, omnesque, qui ecclesiæ nostræ bene cupiunt, ut solenni huic actui faventes interesse velint et Episcopo novo bene precentur, præpositos autem et verbi divini in hac urbe ministros primarios, ut bona sua officia in hac consecratione præstent, ea, qua par est, observantia rogamus.

Datum Hauniæ ex ædibus episcopalibus die XXIII Novembris MDCCCXLV.

Sub officii nostri sigillo.

BS 3625 .M958 1845
Mynster, Jacob Peter, 1775-1854.
Annalium Paulinorum adumbratio : qua programmatis loco inaugurationem Reverendissimi Episcopi Lalandiæ et Falstriæ Petri